

tum caelata metus alios gerit arma Eribotes.
 nec Peleus fretus soceris et coniuge diva
 defuit, ac prora splendet tua cuspis ab alta,
 405 Aeacide; tantum haec aliis excelsior hastis
 quantum Peliacas in vertice vicerat ornos.
 linquit et Actorides natum Chironis in antro
 ut socius caro pariter meditetur Achilli
 fila lyrae pariterque leves puer incitet hastas
 410 || discat eques placidi conscendere terga magistri ||
 || et quem fama genus non est decepta Lyaei
 Phlias immissus patrios de vertice crines. ||
 nec timet Ancaeum genetrix committere ponto
 plena tulit quem rege maris. securus in aequor
 415 haud minus Erginus, proles Neptunia, fertur
 qui maris insidias, clarae qui sidera noctis
 norit et e clausis quem destinet Aeolus antris,
 non metuat cui regna ratis, cui tradere caelum
 adsidua Tiphys vultum lassatus ab Arcto.
 420 taurea vulnifico portat celer aspera plumbo
 terga Lacon saltem in vacuos ut bracchia ventos
 spargat et Oebalium Pagaseia puppis alumnum
 spectet securo celebrantem litora ludo;
 oraque Thessalico melior contundere freno
 425 vectorem pavidae Castor dum quaereret Helles
 passus Amyclaea pinguescere Cyllaron herba.
 illis Taenario pariter tremit ignea fuco
 purpura, quod gemina mater spectabile tela
 duxit opus; bis Taygeton silvasque comantes
 430 struxerat, Eurotan molli bis fuderat auro;
 quemque suus sonipes niveo de stamine portat
 et volat amborum patrius de pectore cyenus.